

43
5

PRO SANCTISSIMO
LIBRO CHRISTIANÆ
CONCORDIÆ
DISPUTATIO QUINTA

De Iustificatione,

OCTO CAPITVM:

1. Status controversiæ de Iustificatione.
2. Vera sententia secundum causarum seriem & definitio.
3. Distinctio iustificationis, regenerationis. &c.
4. Conditio hominis iustificati.
5. Antecedentia & consequentia iustificat; deq; exclusivis.
6. Gradus & processus iustificationis, & salutis.
7. Questiones in epistola Iacobi.
8. Anathesis & anathematismi adversariæ.

Habita
A SALOMONE GESNERO S. THEOLOGIÆ
Doctore & Professore in Academia Vitebergensi,
die 22. Septembr. Anno 1593.

Respondente
MARTINO HILVVIGIO BOLESLA-
wienfi Silesio: Priuig: suo.




WITEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mullerj,
Anno M. D. XCIII.



O R I G E N E S

ad Rom. lib. 13.

Arbitramur ergo iustificari hominem
per fidem, sine operibus legis, & dicit
sufficere SOLIUS FIDEI iustificatio-
nem, ita, ut credens quis tantummodo
iustificetur, etiam si nihil ab eo operis fuerit exple-
tum. Imminet igitur nobis, qui integram esse scri-
pturam Apostolicamur asserere, & ordine suo
cuncta constare, ut requiramus, quis sine operibus
SOLA FIDE iustificatus sit. Quantum igitur
ad exemplum pertinet sufficere arbitror illum la-
tronem, qui cum Christo crucifixus clamavit ei-
de cruce, Domine JESU memento mei cum vene-
ris in Regnum tuum. Nec aliud quidquam de-
scribitur boni operis ejus in Evangelijs, sed pro-
bac SOLA FIDE ait ei JESUS: Amen dico
tibi, hodie mecum eris in Paradiso.



44

CAPUT PRIMUM.

Status controversiæ

Thesis I.



ertia controversia orta inter Theologos Augustanæ Confessionis est de Iustificatione hominis peccatoris coram Deo.

II.

Neg; enim iam ea præcipuè in disceptationem venerunt, de quibus cum pontificiis disputatum & pugnatum fuit.

III. *ψευδοδοξία πρώτη.*

Sed cum inter nostros constaret, nos non operibus nostris coram Deo iustificari; iustitiam autem nostram esse in mera Dei gratia & misericordia in Christo nobis exhibita, adeoq; ipsum Christum à Deo nobis factum esse iustitiam, 1. Cor, 1. 30. nosq; non nostra iustitia iustos esse, sed iustitiam esse Dei, qua iustificemur, Rom. 1. 17. & 3. 21. Inde quidam sic ratiocinari cæperunt.

VI.

Filius Dei est nostra iustitia. Filius Dei essentialiter in nobis inhabitat. Ergo ea ipsa essentialis Filij Dei in nobis inhabitatio, quæ non ociosa est, sed nos ad bene operandum impellit, facit nos iustos coram Deo: eiusq; etiam inhabitantis iustitiæ respectu totius mundi peccata instar unius guttulæ se habent ad magnum mare.

V. *ἡ δευτέρα.*

Alij ita ratiocinati sunt. Christus in assumpta sua humana carne pro peccatis totius mundi satisfecit, & nos redemit. Ergo Christus secundum humanam naturam solummodo nostra iustitia est.

VI. *ἡ ὀρθόδοξία.*

Vtrisq; sese opposuerunt orthodoxi Augustanæ Confessionis professores, & contra hos quidem dixerunt: Christum ideo incarnatum esse, ut secundum vtramq; naturam, divinam & humanam noster esset mediator, redemptor & iustificator, non modo vel secundum divinam, vel secundum humanam naturam. Illis autem opposuerunt, Christum non quidem sua essentia essentialiq; in nobis præsentia & inhabitatione, sed suo merito eiusq; efficacia & applicatione nostram iustitiam esse.

VII. ἅλλα τινὲς δόξαι.

Inciderunt & alia quaedam dubitationes de satisfactione, quas Metaxyca religio, quam Interim seu interreligionem vocamus, invexit, de quibus infra in Antithesi dicendum erit.

VIII. dignitas & utilitas huius disputationis.

Necessaria verò imprimis & vehementer utilis est de hoc articulo disputatio propter Dei gloriam : animarum consolationem : religionis certitudinem.

IX.

Propter Deum, quia hominis peccatoris iustificatio vniuersę misericordię divinę est liberalissima patefactio.

X.

propter animarum nostrarum consolationem, quia ex æternę salutis spe omnia consolationum argumenta depromenda, salutis autem spes nisi iustitię nitatur firmamento evanescit & collabitur.

XI.

Propter religionis certitudinem, quia eiusdem initia, progressus, & finis iustificationem respiciunt. Itaq; recte à D. Luthero pronunciatum. Si vnicus hic articulus syncerus permanserit, etiam Christiana ecclesia sincera, concors, & sine omnibus sectis permanet : sin verò corrumpitur, impossibile est, vt vni errori aut fanatico spiritui obuiam iri possit.

XII.

Hęc causę nos adducunt, vt de iustificatione disquisitionem instituiamus: presertim cum exemplo D. Pauli quoq; excitemur, qui non modo ipse graviter pseudoapostolos de hoc negotio refutat, sed etiam in declaranda vera de iustificatione sententia exclusiuis vtitur particulis, haud alium in finem, quam vt ostendat, non modo veram de hac re doctrinam proponendam, sed etiam antithesin refutandam esse.

XIII. κατὰστροφ.

Quapropter eadem methodo in hac controversia decidenda vtetur, qua in duabus prioribus, & statu controversię primo capite iam definito, secundo veram sententiam de nostra coram Deo iustificatione proponemus, indeq; iustificationis definitionem extruemus. Quod cum fecerimus, tertio iustificatio à regeneratione & renovatione distinguenda erit : quarto indicandum, qualis sit homo iustificatus : quinto quęnam antecedant

cedant & quæ consequantur iustificatione investigandum : sextp
quibus veluti gradibus ad iustitiam & salutem perveniatur mon-
strandum : quædam quæstiones ex epistola Iacobi considerandæ:
Et ultimo antithesis refellenda erit.

CAPUT SECUNDUM.

I. πρώτασι.

Principio vera doctrina nostrarum Ecclesiarum de Iustifica-
tione exponenda est, quam quidem more scholastico iuxta cau-
sarum seriem digeremus, vt quo singula referri debeant, dilucidè
perspiciatur.

II. ὑποκείμενον δικαιώσεσιν.

Quando igitur queritur, quinam sint iustificandi, respondet
sacrae literæ, Deum velle omnes homines, miserrimos peccato-
res per Filium suum iustitiæ & æternæ salutis participes fieri. At-
que hic nemo excludendus est. Ioh. 3. 16. 1. Ioh. 4. 9. 1. Ioh. 2. 2.
2. Petr. 3. 9. Ezech. 18. 32. & 33. 11. Matth. 18. 14. Hæc materia
seu subiectum remotius informe: propinquum & formatum sunt
pœnitentiam agentes & fide Christum amplectentes.

III. τὸ ποικίλον.

De efficiente causa similiter à scriptura erudimur, quod so-
lus Deus pro sua immensa erga genus humanum dilectione lap-
sos & in peccatis mortuos homines reparet, iustificet & salvos fa-
ciat, Rom. 8. 33. Gal. 3. 8. Os. 13. Ego Dominus Deus tuus, &
Deum præter me nescies, & Salvator non est præter me. Item:
Perditio tua est Israël, in me autem tantummodo salus.

IV. τὰ ἀνάττα.

Qua causa arcentur omnia operum nostrorum merita. Iustifi-
camur enim absq; vllis præcedentibus, præsentibus aut conse-
quentibus nostris operibus. Rom. 3. 28. Rom. 4. 3. Gal. 3. 8.

V. χαρίσματα θεητικά.

Forma nostræ iustitiæ coram Deo non est aliqua nobis infu-
sa qualitas, sed ea in mera relatione & imputatione consistit, &
duplices complectitur gratias. Primum quidem privativas, qui-
bus fit, vt quamvis peccatores simus & revera maneamus, quam-
diu vivimus, in oculis nihilominus Dei à peccatis absolvamur,
reatus pænæq; veniam propter Christum consequamur, Ro. 4. 6.

VI. χαρίσματα θετικά.

Deinde iustitia nostra positivus quoq; gratias complectitur,
quæ:

A 3



quæ sunt, quod Deus nos in Christo in filios adoptat, & æterna beatitudine donat, Eph. 1. 4. Rom. 8. 16.

VII.

Utraq; hæc in vnico Christi merito, perfecta obedientia, passione, morte, resurrectione continentur, quæ nobis à Deo imputata efficit vt in oculis Dei à peccatis absoluti, & æterna vita digni habeamur. Proinde meriti salvatoris nostri imputatio ea ipsa forma est, qua in iudicio Dei censetur iusti, quod meritum, si evoluatur, ea, quæ dixi, bona complectitur. 1. Corinth. 1. 30. 1. Ioh. 1. 7.

VIII. τὰ ὄργανα πρὸς θεῶν.

Quo pacto verò eius iustitiæ siamus participes si interrogetur, sacræ literæ docent, duo esse diuinitus ordinata media, vcluti duas manus, quarum hæc sit δ'οτικὴ, quæ iustitiam confert; altera λαπτικὴ, quæ datam apprehendit.

IX.

Offert Deus istam gratiam, & exhibet, imo in sinum & in cor infundit omnibus per Euangelium & Sacramenta Matth. 17. 5. Rom. 10. 17. Ioh. 3. 5.

X. τὰ ὄργανα πρὸς ἡμᾶς.

Neue quis dicat, Deum ista gratiæ suæ exhibitione rem seri- am non agere, sed miserijs nostris insuper illudere, cum ne ob- latam quidem accipere & apprehendere queamus; Idcirco non modo suam nobis dextram omnibus cœlestibus bonis repletam ostendit, aperit, in sinum inserit: Sed Spiritu sancto per concio- nem euangelij perq; sacramentorum vsurpationem corda & a- nimos nostros fide inflammat, quæ manus est & instrumentum, quo vniuersa Christi beneficia nobis applicamus, Eph. 2. 8:

XI.

Ita ex Deo sunt omnia. Ille est, qui dat, ille, vt data acci- piamus, efficit.

XII. τὰ ὄργανα πρὸς ἡμᾶς ἐκ θεοῦ.

Ex istis apparet, apud Paulum de instrumentali causa Iustifi- cationis planè ἰσοδυναμία esse propositiones, cum dicit: Nos fide iustificari, Rom. 3. 26. Et fidem nobis ad iustitiam imputari Rom. 4. 5.

XIII. τὸ αὐτὸ σύγκρισις σὺν τοῖς κληρωτικῶν.

Et cum fides hoc in loco inter causas iustificationis ita po- natur

natur, vt instrumentum, & vt manus plena beneficiorum Christi, manus, inquam, à Deo data, manifestum est, quod non qualitatem in nobis & infusum aliquod donum, sine quo quidem non est, hoc respectu significet, sed meram imputationem. Non enim fides à nobis, sed à Deo est: & à Deo non in eum finem datur, vt quatenus in mente nostra est lux notitiæ de Deo, in voluntate assensus & fiducia; hoc est absoluta qualitas, à Spiritu sancto nobis impressa & opus, virtus & habitus, eatenus & hoc ipso nos iustificet, sed quatenus Christi beneficia amplectitur eaq; veluti vestem peccatori nudo circumdat.

XIV.

Quæ cum ita sint, oportet cum prioribus istas quoq; consentire idemq; planè significare, cum D. Paulus ait: nos vnius Christi mediatoris obædientia iustificari. Rom. 5. 9. 15. 17. & vnius hominis iustitia iustificationem vitæ in omnes venire: ibidem.

XV.

Præcipua inter omnes causas est formalis qua sumus iusti, quæ est gratuita imputatio meriti Christi, illa hoc solidò & inuictò nititur argumento.

Christus aut propter se, aut propter nos homines, aut propter angelos, aut frustra passus & mortuus est. Sed sua causa tam non fuit legi subiectus, quam non passioni & morti obnoxius: nec angelorum causa humanam naturam induit, cum castissimi Spiritus non indiguerint redemptore, nec, si indignissent, alterius naturæ participem sibi solatio habere potuerint: neq; vero frustra & temerè in tantas sese demisit miserias. Relinquitur itaq; vt propter nos homines & propter nostram salutem incarnatus, passus & mortuus sit. Ex quo porro sequitur. Si propter nos ea omnia expedita dedit, quod illa ipsa nobis imputet & donet, æternusq; pater filij sui obædientiam non aliter habeat, ac si nos eam præstitissemus.

XVI. τὸ ὄνομα τῆς δικαιοσύνης;

Neq; vero illud obstare cuiquam debet, quod in ethicis & politicis ac forensi vsu iustus dicitur, non modo qui videtur & habetur talis, sed qui ipso iustitiæ habitu & tam nobili qualitate exornatus est, vnde omnes eius actiones iustæ tantummodo promanant. Hic enim non civiliter & πολιτικῶς, sed θεικῶς & in conspectu Dei iudicioq; divino iustum inquirimus.

quirimus. Illic iustitia finita, hic infinita est, proinde illius capax quodammodo est homo, huius nullo alio modo, quam sola imputatione & λογισμῶν Θεῶν, vt D. Paulus loquitur Roman. 4. Quid enim omnes omnium hominum virtutes & iustae operationes, si cum infinita Dei iustitia conferantur? nihil omnino. Iam verò in iustitia ἡ ἀναλογία & proportio vel maximè spectatur: atq; ita necesse omnino, vt offensum infinitum bonum poenis & satisfactione itidem infinita placetur: quod quidem nostrarum virtutum leuissimis principijs & particulis fieri non posse, vel ipsa ratio evidenter ostendit.

XVII.

Quamobrem infinita Filij Dei λυτῶσα, quæ fide apprehensa nostra fit, coram Deo iusti sumus. Atq; hic vocabuli Iustitiae vsus tam in veteri quam in novo testamēto frequentissimus est, Prou. 17. 15. & Is. 5. 25. Phil. 3. 9. 2. Tim. 1. 9. Rom. 8. 33.

XVIII. ὁρισμὸς τῆς δικαιοσύνης.

Hæc omnia si in summam colligamus, definitionem iustitiae nostrae coram Deo talem extruemus. Iustificatio hominis coram Deo est misericordiae diuinæ actio, qua Deus propter Christum omnes poenitentiam agentes & meritum Christi vera fide sibi applicantes pro iustis habet, peccata illis condonando, poenamq; remittendo, innocentiam imputando & æternam beatitudinem donando.

CAPUT TERTIUM.

Quo Iustitia, regeneratio, renovatio & viuificatio discernuntur.

Thesis I.

Ista nostrarum Ecclesiarum de iustificatione constans est sententia, quæ vt rectius percipiatur, distinguenda erit iustificatio à regeneratione, renovatione & viuificatione. Discrimen in formali & finali causa consistit.

II.

Nam regeneratio παλιγγενεσία, vt eam saluator Ioh. 3. describit, formam & finem, quæ coincidunt, habet duplicem. Complectitur enim & imputationem seu λογισμὸν Θεοῦ, quo Deus a deo diligit hominem, vt peccatum remittat, innocentiam accenseat: & præterea vitæ innouationem, qua veterem Adamum crucifigimus, & novi hominis opera facimus.

Proinde

III.

Proinde regeneratio iustificationem in se complectitur, eiq; fructum addit.

IV.

Quando vero regeneratio solam peccatorum remissionem & adoptionem in filios Dei significat, cum iustificatione coincidit, quo significatu saepe Apologia utitur.

V.

Sicut pro fructu iustificationis habetur, quando novam obedientiam vitaeq; emendationem notat: ut apud Lutherum in libro de Ecclesia & concilijs, & alibi,

VI. ζωοποίησις.

Viivificationis vocabulum etiam interdum remissionem peccatorum notat. Cum enim homo, qui erat mortuus in peccatis & aeternae morti adiudicatus, peccatorum remissionem adipiscitur, hoc ipso ex morte in vitam transit: &, Iustus fide sua vivit. Atq; ita viivificatio cum iustificatione coincidit. Abac. 2. Rom. 1. 17. Eph. 2. 5.

VII.

Fructus autem est iustificationis, quando iustificatio veteris Adami interitum & novae vitae instituta denotat. Rom. 8. 11.

VIII. ἀνοικαίνωσις.

Renovatio ferè fructum iustificationis tantummodo denotat. Tit. 3. 5. Atq; ita distinxisse plurimum in se utilitatis habet.

CAPUT QUARTUM.

De conditione hominis iustificati.

Thesis I.

Cum docetur, hominem non inhaerente aliqua qualitate coram Deo, sed sola imputatione & λογισμῶ Dei, iustificari, non potest non de eo quaestio oriri, qualis interim homo iustificatus, seu in iudicio Dei iustus pronuntiatus in seipso & ratione inhaerentium qualitatatum sit: quae quaestio ad consequens seu effecta iustificationis pertinet, ut capite proximo audiemus,

II. τὸ πῶς ἔχει τὸν δικαιωθέντα.

Aut enim omni labe caret, aut labem adhuc retinet: & si retinet aut puritati studet, aut illam negligere debet.

III. λύσις τῆς ἀπορίας.

Respondent sacrae literae hominem iustificatum haudquaquam ita purgatum esse, ut eius mens nihil tenebrarum & ignorantiae de Deo, voluntas nihil inimicitiae adversus Deum, vita & mors

B

nihil



nihil culpæ & vitij habeat. Sed hæret vitiosa radix, originalis illa contagio, de qua nuper, quæ subinde malos fructus edit: infixæ manent in omnibus viribus hominis peccati maculæ; Verum illa purpurea stola obædientiæ Christi in oculis Dei teguntur, vt iam non amplius appareant Rom. 7. & 8. Psalm 31. 6.

IV.

Neq; id eo rapiendum est, quasi isti malitiæ nostræ conuiuere & carni ablandiri debeamus, iamq; frenum voluptatibus laxandum sit. Minime omnium.

V.

Sed cum renati Spiritu sancto donati sint, ipsius operatione carnem suam crucifigant & in Spirituali lucta peccato inhærenti resistent residuasq; flammæ nequitia magis magisque supprimant & deleant necesse est.

VI.

Conditio proinde iustificatorum in hac vita partim in relatione, partim in qualitate est. Quod ad relationem attinet & formam, qua sunt apud Deum iustificati, iustitia est mera & gratuita imputatio, manentibus adhuc peccatis. Quod ad qualitatem habent etiam inchoatam iustitiam bonorum operum & novam obædientiam.

VII.

Quæ tamen obædientia in hac infirmitate nunquam eam assequitur perfectionem, quam lex divina flagitat: sed manca, mutila & multis modis est contaminata: estq; quam diu viuimus *ὡς τὸ γινώσκου*, sumus subinde filij Dei, in illa demum æternæ vitæ perfectione erimus consummata nouitate & integritate *ἰσαγγέλαι*, imo similes capiti nostro Christo *ὡς τῆς ἀναστάσεως* filij resurrectionis. Ioh. 1. 10. Luc. 20. 36. 1. Cor. 15. 53.

VIII.

Interim tamen hæc languida obædientia Deo placet; quia ex fide in Christum proficiscitur, & quia persona Deo reconciliata est.

IX.

Verum nova obædientia seu inchoata iustitia nequaquam eum iustitia, qua sola coram Deo iusti sumus; confundi debet. Etsi enim simul coniuncta sunt, neq; fides ociosa est: tamen non sunt

48

sunt idem, verum ita distincta, vt Dei λογισμὸς & imputatio sola nos iustificet, iustitiae autē demum veluti fructus inchoatio novae obaedientiae per Spiritus sancti efficaciam accedat.

CAPUT QUINTUM.

Distinctio iustificationis ab antecedentibus & consequentibus.

Thesis I.

Quod discrimen vt omnibus numeris absolutum proponatur, accuratē ipsa Iustitia tam ab ijs, quae antecedunt, quam quae consequuntur distinguenda est.

II.

Sunt qui hominis conuersionem cum eius Iustificatione idem esse censent, ideoq; ea omnia ad iustificationem requiri existimant, quae in conuersione sunt necessaria, qualia sunt contritio, fides, & nova obaedientia.

III.

Sed isti falluntur. Latius enim patet conuersio, quam Iustificatio, & haec duo vt totum & pars distincta sunt. Siquidem in conuersione iustitia continetur. Neq; sunt ἀντιστοφα conuersio & iustitia talia, qualia definitio & definitum, licet vt causa καὶ αὐτὸ & verus effectus consecutionem habeant. Qui enim bona opera Deo placentia praestant, eos iustos esse necesse est: cum absq; fide impossibile sit Deo placere; Non autem contra, iustos, quatenus iusti sunt, ad hoc ipsum, vt iusti sint coram Deo, bonis operibus instructos esse oportet. Minimē omnium, Iusti enim sunt iustitia fidei absq; operibus.

IV.

Ex quo liquidò constat, non omnia illa, quaecunq; ad veram conuersionem requiruntur, etiam ad iustificationem pertinere.

V.

Tria enim tantummodo sunt iustificationis necessaria requisita, quibus antea definita fuit: Gratia Dei, meritum Christi, & fides, quae Christi meritum amplectitur.

B 2

Quae

V I.

Quæ vero præter fidem in conversione insunt, contritio & nova obedientia, illa partim antecedunt, partim consequuntur iustitiam & ad τὸ εἶναι ac definitionem iustitiæ necessaria non sunt, quamlibet τὸ εἶναι & τὸ εἶναι coniuncta sint.

V II.

Nam saluifica fides in ijs non est, qui contritione carent, & προαίρεσις in peccatis perseverandi habent.

V III.

Nihilominus cum quæstio est de ijs, quæ iustitiam absoluunt & definiunt, contritionem inde excludimus.

I X. τὰ προηγούμενα

Ac statuimus auscultationem verbi, peccatorum agnitionem, dolorem & contritionem talia esse, quæ iustitiam necessario antecedunt.

X.

Fides enim iustificans tantummodo in ijs est, qui verè & non fictè poenitentiam agunt.

X I.

Itaq; ratione ὑποκειμένων, in quo insunt, contritio & fides iustificans, sunt ἀδιαίρετα, & ἀχώριστα.

X II.

Neq; tamen παντελῶς & ἀνάπαλις seu ἀντεστραμμένως, sed ex vna saltè parte. Hoc enim necessarium est connexum. Quicumq; credit sibi peccata sua propter Christum esse remissa, ille peccata agnoscit, & se peccasse dolet. In isto verò nulla est connexio. Qui agnoscit peccata eaq; deplorat, idem etiam ea sibi remitti credit. Obstat exemplum Iudæ, Achitophelis, Francisci Spieræ & similia.

X III.

Et si igitur dolor peccati ibi est, vbi fides iustificans, non tamè vbiq; dolor peccati, ibidem etiam fides iustificans. Quapropter hæc duo, dolor peccati & fides iustificans ratione ὑποκειμένων vno saltem modo sunt ἀχώριστα: altero minime. Ex quo conficitur: cum contritio in aliquo subiecto inueniatur, vbi non est fides, quod à fide distincta sit, fidemq; antecedit, neq; definitionem fidei & iustificationis constituat.

X I V. τὰ ἐπόμενα.

Sic ex altera parte Charitas & dilectio Dei & proximi fructus est, qui veram fidem certissime & necessario sequitur.

Qui

XV.

Qui enim non diligit, de eo rectè iudicari potest, quod non sit iustificatus, sed quod adhuc in morte detineatur: aut quod rursus iustitiam fidei amiserit, vt Iohannes arguit primo Iohannis tertio.

XVI.

Hæc itaq; duo, fides iustificans & dilectio partim ἀκολῶθῆσιρ habent, partim non habent. Nam τῆ χήσει vsu & τῆ πράξει o- peratione coniuncta sunt, vt non modo istud sequatur: diligit Deum & proximum: Ergo iustificante fide instructus est: sed et- iam istud: Iustificante fide instructus est. Ergo diligit Deum & proximum. Cohærent enim πρὸς ἄλληλα vt κύριον & κατ' αὐ- τὸ ἄτιον: cum genuino effectu, quo causa destitui non potest, cum in actum producitur

XVII.

Hactenus cohærent. Sed si τὸ εἶναι & definitio vtriusque quærat, & ipsa ratione suæ naturæ suæq; definitionis confe- rantur, ac quæstio oriatur, vtrum idem & ἐν τὸ αὐτὸ παντελῶς ἀδιάκριτον, ἀδιακριτον & ἀδιάφορον sint fides & dilectio, ita vt iu- stitia nostra coram Deo sit dilectio Dei & proximi, eaq; dile- ctio Dei & proximi nos coram Deo iustificet. Respondemus disparata esse. Nec enim iustitia fidei dat esse dilectioni, qua- tenus dilectio. Dilectio enim Dei & proximi non est nuda imputatio & λογισμὸς Dei, sed ipsum opus. Nec contra dile- ctio dat esse Iustitiæ fidei,

XVIII.

Arctius res astringenda. Sint isti duo termini, Deus iu- stificans quatenus iustificat, & homo quatenus iustificatur: ille solummodo agens, hic solummodo patiens. Intra hos termi- nos continetur hominis Iustificatio. Quod enim Deus homi- ni accenset & imputat filij sui meritum, hoc ipso λογισμῷ homo iam iustus est, Rom. 3. & 4.

XIX.

Hi termini continent & absoluunt iustitiæ definitionem. In illis autem sola est Dei φιλοσε, χησότης & φιλανθρωπία: Nulla prorsus ab homine ἀντιφιλοσε, nec in Deo τὸ ἀντιπεπον-



Ἰδὲ. Ergo dilectio Dei, quæ per reciprocationem à nobis in Deum, effectuore Spiritu sancto, mediante fide, reflectitur, & dilectio proximi, quæ inde promanat, in ipsa iustificatioue non inest, neq; eius esse & definitionem constituit.

XX.

Ita apparet, quatenus iustitia & dilectio sint disparata. Iam si isti ponantur termini. Homo iustificatus, Deus & proximus. Hic libenter concedimus illa duo coniuncta esse. Iustificatus enim homo ipsa illa fide, qua iam ante iustificatus est, Deum diligit, & si Deum, profecto propter Deum etiam proximum.

XXI.

Vbi duplex quoq; fidei siue natura siue officium elucescit. Nam fides quatenus est *ληπτικὴ*, beneficia Christi apprehendens, eatenus fide, vt organo iustificamur: quatenus autem eadem illa fides sit *δοτικὴ* tribuens laudem Deo, Deum diligens & proximum amans, eatenus non iustificat, sed iustificatum declarat.

XXII.

Atq; hæc ita discernenda esse Apostolus duobus potissimum argumentis demonstrat. Primum enim exemplo Abrahamæ liquidum facit, illum coram Deo iustificatum esse Sola Fide inventurum Messiam absq; operibus: Et non modo primum sola fide iustificatum, cum ab Idolatria conversus est, nullaq; habuit antecedentia bona opera: sed etiam cum postea per Spiritum sanctum renovatus multis præclaris bonis operibus ornatus esset, apud Deum tamen fauorem non operibus meruisse, sed fidei imputatam esse iustitiam, Rom. 4. Gen. 15. Hebr. 11. Qua sententia Paulus ibidem Davidis exemplum allegat.

XXIII.

Alterum argumentum in eo est, quod D. Paulus tum ad Romanos tum ad Galatas, quando ex professo hanc tractat controversiam, tanto zelo vrget particulas *διὰ χάριτος*, sine operibus siue lege, siue merito, non nisi ex gratia, gratis, non ex operibus. Quibus vocibus omnia nostra opera & merita à iustificationis negotio separantur. Roman. 3. 28. & 4. 4. & 5. 1. & 10.

& 10. 10. Gal. 2. 16. Ephes. 2. 8. 9. Ioh. 1. 12. 13. & 3. 14. 17. Act. 13. 38. & 4. 12. & 15. 9. Hab. 2. 4. Ies. 53. 11.

XXIV.

Neque ita ea separatio intelligenda est, quasi renati & iustificati, non pie & castè viuere debeant: sed eam solummodò ob causam, vt separatim & in sese proponatur Negotium Iustificationis, & gloria nostræ iustitiæ in solidum DEO tribuatur: & opera, quæ sunt fructus Iustificationis, ab ipsa iustificatione discernantur, ne id, quod soli DEO acceptum ferre debemus nostris, meritis adscribamus.

XXV. τῶν διαχωριστικῶν δῶματα.

Adhibentur autem illæ particulæ segregantes & excludentes propter tres causas, quæ in Iustificatione principem locum obtinent, efficiensem, organicam, formalem.

XXVI.

Primum enim hæ particulæ causam conficientem puram & solam conseruant, & ab omni concausarum admixtione vindicant. Cum enim scriptura asserit, solam DEI misericordiam & gratuitam innocentia λογισμὸν nos iustos facere: hoc ipso omnia opera propria, merita, dignitas, gloria & fiducia omnium operum nostrorum in articulo Iustificationis penitus excluduntur: Vnoque momento omnia σωαίτια & σωεργισμοὶ euertuntur: & gloria misericordiæ soli DEO tribuitur, & meriti Christi dignitas asstruitur.

XXVII.

Secundo eadem particulæ causam organicam, quo ad nos, respiciunt, eamque similiter à coalitu & adiunctione omnium aliorum adminiculorum soluunt & liberant. Cum enim Paulus pronunciat, nos fide iustificari absque operibus, istud ipsum χάρις ἐργῶν νόμου, non modo charitatem & omnia charitatis opera à Iustificationis effectu sequesterat, solamque fidem relinquit, sed ipsam quoque fidem, quatenus est opus legis, notitia nimirum de DEO & δοτικόν τι tribuens gloriam DEO, & ἐνεργητικὸν ἢ ἀντιφιλῆτικόν ἢ in consortium fidei, quatenus est manus plena gratia DEI & beneficiis Christi, nequaquam admittit. Fides enim, vt antea dictum, dupliciter consideratur: primum quatenus in nobis est, & in DEVM reflectitur, tanquam bonum opus: deinde quatenus DEI beneficia nobis applicat. Adde quod
ne hic



ne hic quidem iustificet eo quod ενεργητικῶς Christi meritum apprehendit & nobis applicat, ita vt ipsa apprehensio vim iustificandi habeat. sed ὄργανικῶς solummodo, quia mediante fide Christi beneficia fiunt nostra.

XXVIII.

Deniq; propter formalem causam eadem particulæ adhibentur, ne illa ascitis vel operibus, vel renouatione, nouaq; obædiencia, vel contritione, vel sanctificatione, aliâue quacunq; causa contaminetur, sed vt liquido constet nostræ iustitiæ coram Deo formam, quæ dat illi τὸ εἶναι, esse gratuitam peccatorum veniam & innocentia Christi imputationem.

XXIX.

Hæc eo dicta sunt hæctenus, vt Iustitiam ab omnibus antegressis & consequentibus distingueremus, & Negotium iustificationis ab omni mixtura operum perpurgatum exponeremus.

XXX.

Quomodo verò inde non sequatur, hac distinctione opera bona prohiberi, sicut Pontificij calumniantur, id iam olim D. Paulus, Gal. 3. 19, diluit: & Pater Lutherus in commentario ytroq; super epistolam illam luculenter declarauit.

CAPUT SEXTUM.

De progressu Iustificationis.

Thesis I. κλίμαξ τῆς σωτηρίας ἢ οὐρανῶ

Eidem distinctioni non vulgare lumen affert graduum in nostra Iustificatione distributio, quando videlicet consideramus, quibus ab initijs illa oriatur, quæ incrementa faciat, & quibus gradibus ad vltimam vsq; perfectionem progrediatur. Qua de re etsi in proxima disputatione actum est, tamen nunc breuiter etiam disserendum.

I I. τὸ εὐαγγέλιον πρῶτη σκαδμῖς,

Primus itaq; motor, qui nobis ianuam salutis recludit inq; scala illa Iacobæa pedem ex inscitia & impietatis cæno eleuatum

51
tum collocat, est Spiritus sanctus in concione Euangelij suam efficaciam exerens.

III. ἡ ἀκοὴ τὸ δεύτερον βάζου.

Proximus inde gradus est ἀκρόασις & προθυμία cupiditas discendi, ἢ τὸ ἐρευνᾶν scrutari scripturam, Ioh. 5. & 6. & τὸ καθ' ἡμέραν ἀνακρίνειν τὰς γραφὰς, quotidie scripturas euoluere, Act. 17.

IV. πίστις τὸ ἀνά μέσσην ἢ σύζευξις ἢ σιωοληή.

Inde tertio fides emergit, quæ est ex auditu, lectione & meditatione verbi, Rom. 10.

V. ἡ ἀνάκλασις δι' ἰδιοποιήσιν τῶν δ' ἡμετέρας.

Fides ilico Christum & vniuersa eius beneficia apprehendit & ei, cui fides data diuinitus, applicat.

VI. ἡ κορυφή ἢ τὸ σῶλον.

Quinto Deus hominem, qui beneficia Christi fide apprehendit, hoc ipso & ex mera gratia iustum habet & pronunciat.

VII. ἡ ἀνακαίνωσις.

Cum vero persona iam est iustificata, tum etiam per Spiritum sanctum renouatur & sanctificatur.

IV. ἡ καρποφορία.

Ex ea renouatione & sanctificatione deinceps fructus, hoc est, bona opera sequuntur.

IX. ἐπιμονή.

Constantia & perseuerantia vsq; ad finem vitæ accedat, necesse est.

X. τελείωσις.

Ac si homo curriculum in hoc Christianismi studio feliciter absoluerit, vitam æternam consequitur.

XI.

Potest hæc gradatio ad quatuor reduci. Primum enim est Dei ad nos egressio per Euangelium: deinde nostri ad Deum conuersio per auscultationem: tertio Dei nobiscum coniunctio per imputationem iustitiæ & fidem: denique bonæ arboris plantatio in amænissimo iustitiæ campo, & sublimi illo apice gratuitæ imputationis, vnde vires nostræ succum hauriunt, & fructum profert huius & æternæ vitæ.

XII. ὁποῖά ποτε ἡ διάκρισις.

Distincta hæc ita sunt τῇ ἐπινοίᾳ, non diuisa τῷ ὑποκειμένῳ. Non enim fides aliquando & aliquandiu consistere potest cum mala proæresi & voluntate non innouata. Itaque distinctio

C

ctio

αἰὼς ἐστὶ κατὰ πλὴν τάξιν & διαδοχὴν ἢ ἀκολουθίαν τῶν αἰτίων, non
autem κατὰ τὸν χρόνον.

CAPUT SEPTIMUM.

ἀποβλήτῃ τῶν ζητημάτων.

Thesis 1.

Ac multæ quæstiones & intricatæ disputationes hac vera & solida distinctione utiliter & dextrè explicari possunt.

I.

Nam vt alia nunc omittamus alibi fufius explicata, Iacobi epistola capite secundo sex inprimis quæstiones habet, quæ huic nostræ sententiæ refragari videntur, quas Apologia Augustanæ Confelsionis adminiculo allatæ distinctionis diluit.

III.

Primum enim sic arguitur, Iacobus inquit: Si quis dicat, se fidem habere, & non habeat opera, fides eum seruare non potest, Ergo fides sine operibus non saluat. Responsio expedita. Fides illa, quæ est sine operibus, non est ὄντως & reuera fides, sed tantum φαινομένη & λεγομένη, de qua frustra gloriantur hypocritæ. Illa itaque non saluat. Vera autem saluifica fides habet adiuncta opera. Sed non sequitur: Fides saluifica habet adiuncta opera: Ergo in ipsa iustificatione opera concurrunt: sicut non sequitur, anima quæ mouet hominis corpus est intelligens. Ergo secundum intelligendi facultatem mouet corpus. Non enim quicquid cum aliquo coniunctum est, id etiam vna cum altero vel efficiendi vim ad effectum producendum confert, vel vt instrumentum concurrat. Multa enim possunt esse ὄργανον constituenta eiusque naturam absoluentia, quæ tamen vsum organi non accedunt. Et Iacobus ipse ita distinguit, fidem dupliciter considerari: primo κατ' ἐαυτήν & ratione suæ essentia: deinde ratione χρησέως, qua est instrumentum σωτήριον. Fides absque operibus, inquit, est mortua κατ' ἐαυτήν. Non autem ait, fides absque operibus non iustificat.

IV.

Secunda quæstio est de declaratione seu manifestatione fidei coram hominibus. De ea similiter ex data distinctione respondetur, quod etsi fides quoad iustificationem sola coram Deo nos iustificet: tamē non nisi per opera & fructus nos iustificantes esse coram hominibus declaret & ostendat.

V.

Tertia quæstio in eo est, quod Iacobus ibidem asserit, fidem absq; operibus esse mortuam. Ad quam ipse modo respōdit, quod videli-

videlicet fides absq; operibus καθ' ἑαυτὴν sit mortua & non vera :
nō autem quod fides absq; operibus seu sine operum σωεργισμῶ
non sufficiat ad iustificationem. Fidem absq; operibus fidem ve-
ram esse negat, non inficiatur fidem veram absque operibus iu-
stificare.

V I.

Quarta quæstio est de iustificatione Abrahæ, quem dicit operi-
bus iustificatum esse, cum obtulisset filium Isaacum. Quinta quæ-
stio quod ait: Vides igitur quod fides cooperata sit operibus eius.
Ad vtramq; ibidem respōdet Apostolus, se de τελείωσι perfectione
fidei hæc locutum esse, nō de fidei usurpatione. Vt fides verum
sit & viuum instrumentum requiruntur opera: non autem ad v-
sum eius instrumenti, qui est in iustificatione, opera sunt necessa-
ria. Ac tamen dicit fidem cooperatam esse operibus, non tamen
inde ἀνεργαμμένως inferri potest, opera cooperari fidei: cum enim
vera fides ex se sit ἐνεργητικὴ, rectè cum operibus, quæ illam ratione
suæ οὐσάσεως absoluunt, quæque ex fidei oriuntur efficacitate,
σωεργῶν dicitur. Opera verò cum nullam habeant in se ἐνεργίαν
quoad hunc effectum, qui est iustitia, rectè sunt ἄεργα & in effica-
cia; neq; vt equus equo iunctus currum trahit, ita opera fidei iun-
cta promouent salutem nostram, vt duo σωεργῶν, vel vt vnum
sit principale, alterum subordinatum agens.

V II.

Ultima deniq; quæstio est de illa finali sententia: Videtis igitur,
inquit, quod operibus iustificetur homo, & non fide tantum.
Responsonem præcedentia & scopus Iacobi suppeditat. Nam ex-
clusiua ad fidem pertinet, & distinguit fidem λεγομένην seu histo-
ricam, de qua gloriatur hypocrite, a fide vera, viua & saluifica,
quarum hæc habet sibi adiuncta charitatis opera, illa est absq; ope-
ribus. Non autè exclusiua eo pertinet, quod Iacobus in negotium
iustificationis opera aduocet, & istud velit, opera non modò ve-
ram fidem, quæ est instrumentum salutis, absoluere & cōstituere,
sed insuper etiam cum fide cooperari, & adedò efficaciter concur-
rere, vt fides nisi concurrente efficacia operum nos non iustificet.
Nam hoc si diceret Iacobus, è diametro repugnaret D. Paulo. Iam
vero Spiritus sanctus eiusmodi ἀντιλογίας committere non potest.
Quamobrem exclusiua in Pauli affirmatione à fidei proprio offi-
cio, quod est, iustificare segregant opera: In Iacobi vero negatio-
ne exclusiua à fidei, vt ita dicam, essentia, quatenus vera fides esse
debet, opera abesse non vult, cumq; ille instrumenti vsum, hic in-
strumenti constitutionem vrgent, nulla est ἀντίφασις.



CAPUT OCTAUM.

Falsarum opinionum reiectio.

Thesis I.

Cognita vera doctrina de nostra iustificatione, in refellendis falsis opinionibus non admodum anxie laborabimus, itaque percensendo potius quam refutando reiicemus, cum refutationum fundamenta ex præcedentibus nimis pateant.

II.

Primum igitur vniuersa Pontificiorum deliria vno impetu corruunt. Nam dilectio nostra, vt ostensum est, neque *μερικῶς* neque *ὀλικῶς* est causa nostræ iustificationis, sed eius fructus. Reiicimus igitur scolasticorum dogmata de iustitia rationis.

III.

Bona deinde opera non præparant hominem, vt congruus & dignus fiat applicatione & communicatione meritorum Christi, quod congruum & cōdignum pontificiorum somniauit. Gabriel in 2. sentent. distinct. 27. litera l. nota 3.

IV.

Tertio formalis nostra iustitia coram Deo non est inhærens: *ποιότης* & *ἔξις* sed mera relatio & *λογισμὸς*.

V.

Quarto falsum est iustitiam constare duabus partibus, remissione peccatorum & renouatione vitæ.

VI.

Quinto falsum itidem, fidem iustificare principaliter & initialiter, charitatem subalternè & completiuè, & fidem charitate formatam, quatenus formata est fides iustificare.

VII.

Sexto falsum, credentes iustos esse partim imputatione, partim inchoatione nouæ vitæ.

IIIV.

Septimo falsum est applicationem promissionis fieri & fide & confessione oris.

IX.

Octauo falsum, alias esse causas æternæ salutis quam iustificationis, ita vt per solam quidem fidem absque operibus coram Deo

Deo iustificemur, sed tamen absque operibus æternam salutem non consequamur. Nam Paulus Rom. 4. per particulas exclusivas non minus ab hoc effectu, qui est æterna beatitudo & salus, quam ab illo, qui est iustitia coram Deo, omnia opera excludit, & longissimè relegat. Bernhardus serm. 1. in Annunc. Mariæ.

X.

Sed hæc opiniones in aliis nostrorum scriptis, in Augustana Confessione, Apologia & libris Lutheri copiosius refutatae sunt. Nunc illud præcipuum est, propter quod hæc suscepta in libro Concordiæ disputatio, ut de inhabitante Dei iustitia vera explicetur sententia.

XI.

Non agimus nunc de vniuersali Dei in omnibus creaturis præsentia, quæ conseruatione illorum terminatur, sed de præsentia gratiæ, qua pii sunt templa Spiritus sancti. Ea igitur Dei præsentia ratione accessus, quo Deus per verbum eam inchoat, est causa fidei, non autem causa iustificationis propinqua, & est causa efficiens, non est causa formalis: ratione verò durationis, qua Deus in fidelibus *μονή* facit, vnde fit, ut filij Dei Spiritu Dei agantur, & sint templa Dei, eadem inhabitatio est fructus & consequens iustificationis. Atque ita iustitia nostra est Dei iustitia effectiue, quia Deus sua præsentia fidem in nobis operatur, & nobis iustitiam imputat, non essentialiter & formaliter, quod ipsa præsentia Dei nos iustificet, quatenus præsentia est.

XII.

Cum verò porrò quæritur, quomodo Christus sit nostra iustitia, 1. Cor. 1. per distinctionem id explicandum est.

XIII.

Non enim Christus secundum suam personam, vel alterutram naturam siue diuinam siue humanam, quatenus est persona & quatenus est natura, nostra iustitia est, sed ratione sui officij: & cum officium complectatur meritum, quo semel in ara crucis nos redemit, & huius redemptionis efficacem applicationem: Christus nos iustificat, quando per fidem vniuersam suam obedientiam nobis applicat, & efficaciter nos æterno Patri reconciliat.

XIV.

Ad meritum & *ἀντὶς* infiniti precij opus erat *θεανδρώπῳ*, eiusmodi Mediatore, qui & Deus & homo esset. Nam nudus homo infinitæ iustitiæ diuinæ satisfacere non potuisset, & peccata totius mundi expiare nequiuisset.

XV.
Diuina verò natura pati & mori non potuisset. Deinde Me-
diator inter Deum & hominem, propter Deum Deus, & propter
hominem homo est.

XVI.
Atque ita meritum totius est personæ, non solummodo natu-
ræ vel diuinæ vel humanæ.

XVII.
Et ita quidem totius personæ, vt in eo merito primum v-
triusque naturæ sint distinctæ actiones: deinde actionum & pas-
sionum communicatio: & vtraque natura agat cum COMMV-
NICATIONE alterius, quod suum est.

XIIII.
Ac proinde cum dicimus, quod sanguis Iesu Christi Filij Dei
nos emundet ab omni peccato: per sanguinem ipsum essentia-
lem, sanguinem Iesu Christi, qui in venis eius continetur, & qui
de latere eius profluxit, in quo baptizamur, quem in sacra Cœna
cum vino bibimus, qui minimè à terra absorptus, & in nihilum
reductus, sed potentia Dei conseruatus, & à mortuis excitatus
est, eum, inquam, sanguinem intelligimus, & per illum ipsum
sanguinem nos redemptos esse asserimus. 1. Ioh. 1. 7. Irenæus li-
bro 5. aduers. hæc, cap. 4.

XIX.
Neque tamen idcirco sequitur, quod Cryptocaluiniani quî-
dam nobis obtrudere conantur, quasi sanguini hanc efficaciam
tribuendo, vel diuinam naturam à merito redemptionis exclude-
remus, vel propria naturarum confunderemus. Nam non solus
& nudus sanguis id præstitit, sed Filij Dei sanguis: & non qua-
tenus est sanguis per se id effecit, sed quatenus Filij Dei sanguis.
Vt ita totius personæ sit meritum, non alterutrius solummodo
naturæ.

XX.
Quæ si eum in modum distinguantur intelligimus, quatenus
Christus sit nostra iustitia. Nam si personam respicias, iustitia no-
stra est effectiuè, quia iustitiæ nostræ author. Si meritum & λύτρον
semel in ara crucis præstitum, Christus iustitia nostra est prome-
rendo & satisfaciendo: Si denique efficacem applicationem, quæ
fit per fidem in verbo & sacramentis consideres, Christus iustitia
nostra est perficiendo & absoluendo. Itaque persona ad efficien-
tem causam, officium, quod est in merito & applicatione, ad for-
malem referri debet.

Damna-

XXI.

Damnatus igitur si doceatur, quod sit iustitia nostra tantum secundum diuinam naturam.

XXII.

Damnatus etiam, quod Christus duntaxat secundum humanam naturam sit nostra iustitia.

XXIII.

Falsum esse dicimus, cum docetur, quod in Prophetarum & Apostolorum scriptis vocabula iustificare & iustificari non significant à peccatis absoluerè, sed propter infusam per Spiritum sanctum charitatem, indeque promanantes virtutes nos ipso τῷ ἔργῳ & habitualiter iustos esse.

XXIV.

Falsum quoque, quod fides non respiciat totam obædientiam Christi, sed diuinam ipsius naturam, cuius inhabitatione nostra peccata tegantur, & nos iusti simus.

XXV.

Falsum, quod fides sit fiducia in obædientiam Christi etiam absque pænitentia & citra charitatem.

XXVI.

Falsum quod non ipse Deus, sed dona Dei solummodo habitent in sanctis.

XXVII.

Hos errores omnes verbo Dei contrarios esse agnoscimus, & idcirco ab ecclesia reiiciendos esse statuimus.

XXVIII.

Nos interim eam doctrinam, quæ in Augustana Confessione & Apologia de hoc arduo articulo tradita est, retinemus, & vberiore[m] totius negotij explicationem à Commentariis D. Lutheri, super epistolam ad Galatas peti suademus.

F I N I S.



XXI

Dominus inquit dicitur; quod in illis nostris tantum
secundum dominum naturam.

XXII

Dominus enim, quod Christus dicitur; secundum hu-
manam naturam in nostris hominibus.

XXIII

Fallunt esse dicuntur, cum docetur, quod in prophetis unum &
Apostolorum scriptis vocabula mutare & inter se non ligari-
sunt a peccatis absolventes, sed propter iniquam persequuntur lan-
guam charitatem, in hocque promittentes virtutes in ipso ipso
suo & habitantibus in eis esse.

XXIV

Fallunt quoque, quod habes non respicit eorum obedientiam
Christi, sed dominum ipsius naturam, cuius inhabitatione
nostra peccata regantur, & nos ipsi sumus.

XXV

Fallunt quoque, quod habes in obedientiam Christi etiam
adque penitentiam & circa charitatem.

XXVI

Fallunt quod non ipse Deus, sed donus Dei solummodo ha-
bitant in sanctis.

XXVII

Hoc errores omnes verbo Dei contrarios esse agnoscimus;
& idcirco ad ecclesiam referendos esse statimus.
Deo inquit eam doctrinam, quae in Augustina Confessio-
ne & Apologia de hoc articulo tradita est, retinemus; &
adversariis totius negotii, explicationem & Commentaria De illis
tenet, super epistolam ad Galatas pertractamus.

FINIS

AB

50A $\frac{2}{h, 12}$


ULB Halle 3
003 485 560



Sch

Rest.
Sep./Okt 84 Schuss.





Inches
Centimetres
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



43

5

SANCTISSIMO
CHRISTIANÆ
CORDIÆ
TIO QVINTA

ustificatione.

CAPITVM:

e Iustificaione.

lum causarum seriem & definitio.

is, regenerationis. &c.

ificati.

sequentia iustificat: deq; exclusivis.

ustificationis, & salutis.

Iacobi.

natismi adversatiue.

Habita

ESNERO S. THEOLOGIÆ

ore in Academia Vitebergensi,

tembr. Anno 1593.

espondente

L VVIGIO BOLESLA-

sio: Priuig: suo.



TEBERGÆ,

C. Georgij Mullerj,

M. D. XCIII.